B. N. C
FIRENZE
1142
20

1142. 20

A I

Dolety

1540

1142 2
20

STEPHANI DOLETI GALLI AVRELII LIBER.

De imitatione Ciceroniana aduerſus Floridum Sabinum.

SCABRA, ET IMPOLITA

AD AMVSSIM DOLO,

ATQVE PERPOLIO.



Lugduni apud eundem Doletum.

1 5 4 0.

Cum priuilegio ad Decennium.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FLORENTINAE BIBLIOTH. NAZ.

DOLETI
CARMEN IAMBICVM

In obtrectatores, & ſuæ exiſtimatio-nis oppugnatores.

Inſurgite ſtrenuè mihi obtrectatores:
Laceſsite animosè, lacerate dente omni:
Indulgete ingenio ueſtro, & linguæ tetræ:
Gratam, innocuamq; rem mihi facitis, peſtes.
Vires Leonis formidoloſæ, ingentes,
Et horribiles uſque adeo non haberentur,
Niſi uel leui ictu beſtiolas omneis poſſet,
Omneis ſimul atterere beſtiolas Leo poſſet.
Nec me eloquentia potentem uolo dici
Poſteritati, in uos beſtiolas (ſed quid dico
Beſtiolas?) beſtias potius bene ualenteis
Scripta niſi ea uibrem, ſtatim quæ uos
Extra uos ponant, & ueſanos agnita culpa
Reddant. Inſurgite ſtrenuè mihi, peſtes:
Indulgete ingenio ueſtro, & linguæ tetræ:
Gratam, innocuamq; rem mihi facitis prorſus.

STEPH. DOLETVS GVLIELMO BIGOTIO S. P. D.

NÆ *Mihi ego Rege quouis fortunatior, feliciorq́; uideor. Magnis illi quidẽ ſumptibus Cinædos, Mimos, Moriones, Scurras, Fatuos, Sanniones (& id genus ridiculorum hominũ) ſibi ambitioſè comparant, alunt, curandos quàm diligentiſſimè iubent. Ego autem nullo negotio, nulla ſolicitudine, gratis ſemper omne genus Sannionum ſum nactus, nanciſcorq́; quotidie, uel certè quidem plureis, quàm eorum gerris, nugisq́; (conuicia uocare non libet: quandoquidem à tam abiecta homũcionum fece nulla neq; laudatio, neq; uituperatio poteſt proficiſci) audiendis, mihi uacare per occupationes detur. Ob tam ſingulare mihi*

conceſſum bonum maximas ſemper Fortunæ gratias egi: ſed nunquam cumulatius agendi data eſt occaſio, quàm ob inauditam uoluptatem, qua nuper ex Floridi Sabini (Morionum omnium facilè principis) intemperijs perfuſus ſum. Rerum naturaliũ intelligentiam, ut qui maximam, habes. Itaq; ſcis, ſiquando uinum aliquod excellens in acetum degeneret, quod prius præſtantiæ, atq; bonitatis obtinebat, id omne in uitio duplicari, fieriq; tantò mox tetrius, quantò antea commendabilius uidebatur. Sic, ubi ex Italo ſòlo extitit, qui pro innata, & uelut peculiari illi nationi (Italis me paulùm adblandiri patere) prudentia, grauitate, ac diſciplinarum omnium ingenuarum cognitione temeritatem, leuitatem, inſcitiam, inertiamq; ſortiretur, atq; adeò uſurparet, uix credas, quàm in iis animi prauitatibus, turpitudinibusq; regnare impotenter ambiat. In id dum ſtrenuè, nauiterq; incumbit, id facit, quod bene poti ſolent. Ii nimirum capitis uertigine poſt nimium ſumptum uinum correpti, quicquid animo, cogitationeq; complexi ſunt, imaginaria quadam uoluptate ſe aſſecutos putãt. In eum modum noſter hic Morio, dum Budæo, Alciato, & omnibus ſine exceptione doctis noſtræ ætatis uiris (nam omnes maledictis laceſſit, neminemq; præ ſe ducit hominem) eloquentiæ,

doctrinæq;

doctrinæq; famam detrahere tam nefariè, quàm animoſè conatur, ſe illis uel maiorem continuò effectum credit: cùm nihil intereà aliud ſit, quàm Floridus Sabinus: id eſt, mali animi, malæ mentis, calumniæ, conuitiorumq; plenus: doctrina, & eloquentia omni uacuus. Obteſtor te, ingenio tam bardo, Morione tam natiuo, homine denique tam ſtolido quid ad riſum mihi accommodatius exoptare potuiſſem? Fruor igitur ſingulari hominis amentia: atque, ut iterum, diutiusq; fruar, hac illum mea apologia incẽdere placuit, & magis, magisq; in conuitia præcipitem agere. Sed nos Morionem noſtra ſemel reſponſione dignabimus: neq; id ſine communi omnium fructu, atq; utilitate publica. Et mihi fortè uſuueniet, quod ſapientibus, prudentibusq; quotidianum eſt. Hi ſæpe animi gratia dum paulò attentius ad ineptam Morionum, Scurrarumùe garrulitatem reſpondent, in medium permulta proferunt, quæ non mediocri eruditione audientes inſtru[illegible]. Quo exemplo ſic ad ridiculam Floridi (Floridum cùm nomino, Morionem ſemper intelligo) loquacitatem reſpondebimus, ut non tam ſtomachoſa, quàm omnibus fructuoſa ſit noſtra in eum lucubratio. Principiò enim de imitatione Ciceroniana ſcribemus: quã noſter Morio diſſuadere omnibus ſua balbutie, barbariaq; con-

tendit. Deinde docte maledicta refutabimus, quibus nos impudenter onerat. Huius autem meæ in iſtum nebulonem defenſionis te iudicem conſtituo, uirum tanta diſciplinarum prorſus omnium cognitione præditum, tanta item eloquentiæ laude celebrem, ut, qui melius, exactiusq́ de cauſa noſtra ſit iudicaturus, non facile poſſim reperire. Præterea unus es omnium maxime, qui ob longam noſtram, & diuturnam conſuetudinem, atq; intimam familiaritatem mores meos perſpectos, exploratosq́ habes. Quod ipſum quidem faciet, ut, an eo ſimus de anima ſenſu, eaq́ uitæ improbitate, quam nobis iſte conuitiose aſſignat, & certum, et uerum teſtimonium ferre poſſis. Totam igitur cauſſam noſtram diiudicandam ſuſcipe: & hanc lucubrationem tibi dicatam puta.

Vale, Lugduni Cal. Octob. anno à ſalute mortalibus reſtituta.

M. D. X L.

STEPHANI DOLETI GALLI AVRELII LIBER.

De imitatione Ciceroniana aduerſus Floridum Sabinum.

OPVS NON ITA admodum huic diſsimile iampridē & ſcripſimus, & in lucem edidimus: nempe Dialogum de imitatione Ciceroniana aduerſus D. Eraſmum Roterodamum, pro Chriſtophoro Longolio: ſcilicet pro cupida ſtyli Ciceroniani iuuentute, quam à tam diuini ſcriptoris ſtudio delirãs ſenex Batauus (pace, ueniaq; ueſtra ſic locutus ſim, pij Eraſmi mânes: nec meo me argumento ſeruire, uobis graue accidat) delirans inquam ſenex Batauus auertere nitebatur. Succeſsit poſteà Eraſmo Floridus Sabinus, nihilò plus, uel multò potius minus imitationis Ciceronianæ amans. Vterq; autem odit, ad quod ſe

poſſe

poſſe aſpirare diffidit. Quæ certè res tolerabilis utcunq; eſſet, niſi, qua maleuolentia in unicum Romanæ eloquentiæ deum (M. T. Ciceronem) ſuffuſi ſunt, omneis ſuffuſos quoq; uellent. Nos contrà ſingulares dictionis Ciceronianæ, & ſtyli amatores, id quod amamus, in inuidiam, odium, contemptumq; adduci ferre hercle non poſſumus. Quæ una cauſa mihi prora, & puppis (ut aiunt) fuit Florido Sabino reſpondendi. Nam illius in me conuitia ne pili quidem facio: quibus nec mea exiſtimatio lædi poteſt, neq; fama minui. Verùm inquam me incendit nefarius illius conatus, qui Ciceroni unicè ſtudendũ diſſuadet. Et nos illi unico linguæ Latinæ deo unicè prorſus ſtudendum ſuademus, ſi quam quis laudem ex Latina eloquentia aucupatur. Quæ cùm in imitatione Ciceroniana poſita ſit, omneis eius uias demonſtrabimus.

De imitatione. Artis pars magna quin imitatione contineatur, dubitari non poteſt. Nam ut inuenire primum fuit, eſtq; præcipuum: ſic ea, quæ bene inuenta ſunt, uelle ſequi. Atq; omnis uitæ ratio ſic conſtat, ut, quæ probamus in alijs, facere ipſi uelimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi uſus fiat, pueri ſequuntur: ſic Muſici uocem docentium: Pictores opera priorum: Ruſtici probatam experimẽto culturam in exemplum tuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari uidemus. Et hercule neceſſe eſt, aut ſimiles bonis, aut diſsimiles ſimus. Similem raro Natura præſtat: frequenter imitatio:

quæ

quæ Periclem, atq; Alcibiadē, & eadem ætate Thucydidem, acutos, ſubtileis, breueis, ſententijs magis, quàm uerbis, abundantes ſcriptores, ſimileis inter ſe effecit. Non potuiſſet enim accidere, ut fuiſſet unum omnium ſcribendi genus, niſi aliquem ſibi propoſuiſſent ad imitandum. Conſequuti ſunt hos Critias, Theramenes, Lyſias: qui omnes illum Periclis ſuccum retinuerunt: ſed fuerunt paulò uberiore filo. Deniq; fuit ſemper aliquis, cuius ſe ſimileis pleriq; eſſe uellent. Sit igitur in arte dicendi præcipuum, ut unius alicuius ſimilitudinem imitatione aſſequi contēdamus: id quod tum crebris exercitationibus, tum magnis, tum maximè ſcribendo adipiſcimur.

Imitatio tribus conſtat.

Imitationem uerò tribus potiſsimùm conſtare, doctus nemo ambigit: nimirum ſplendida uerborum copia, arguta ſententiarum uarietate, & ſuaui componendi ratione. Copiam autem uerborum ſordere prorſus ſcimus, niſi in ea delectus habeatur: cuius & ducem, & principem eſſe Ciceronem quis negarit? Etenim Liuium Andronicum, Appium Cæcum, Cornelium Cethegum, Ennium, Neuiū, Plautum, Cecilium, Pacuuium, Actium, C. Læliū, P. Scipionem, Gracchos fratres ante perfectum illud linguæ Latinæ tempus, omnia antiquè, pleraq; durè locutos, memoriæ proditum eſt. Quorum aſperiorem, & horridiorem ſermonem, uerbaq; triſtis auribus, & eruditæ Romæ intolerabilia elimauit poſterior ætas, duramq;, & ieiunam ſermonis formam ſuſtulit, atq; unctiorem quandam, & ſplendi-

Prima imitationis pars.

Verborum delectus.

Antiquum linguæ Latinæ tēpus.

B diorem.

diorem loquendi conſuetudinem induxit. Qua felici ætate floruit ille diſertorum, & eloquentium uirorum cœtus, Hortenſius, Cæſar, L. Domitius, M. Claudius, L. Torquatus, Brutus, Cælius, Seruius Sulpitius, P. Lentulus. At quis in tanta clariſſimorum oratorum multitudine primas in eloquentia tenuiſſe dicitur? Ciceronem nemo ultro non reſpondet: in quo linguæ Latinæ lumen, ſplendorq́ eluxit: cuius nomen non hominis eſt, ſed eloquẽtiæ: in quo uerbum nullum aſperum, nullum durum, nullum horridum, nullum inſolens, nullum humile, nullum in longius ductum, nullum impropriè trãſlatum, nullum deſitum, nullum obſoletum, nullum antiquatum. Quæ eò à me dicuntur, ut quiſque intelligat, primam imitationis partem, ſi ſplendida, et pura uerborum copia, atq; ubertate conſtare putemus, non aliunde, quàm à Cicerone eam aut quærẽdam eſſe, aut comparãdam: in quo nihil abſurdum, nihil Romani ſermonis principum iudicio non cõprobatum. Quòd ſi, qui Gallicè, Italicè, Hiſpaneúe ſcire cupit, cum ijs uerſari neceſſe habet, qui Gallici, Italici, Hiſpaniúe ſermonis rationem exactè tenent: an Latinè loqui cupienti, unum Ciceronem legendum non exiſtimes, puriſsimum linguæ Latinæ fontem, flumen, oceanum? Fac autem aliquot eſſe uerba uel ad rem ruſticam, uel ad fabrorum arteis, uel ad ſupellectilem domeſticam, uel ad Medicos, Chyrurgos, Aſtrologos, Pictores, Architectos, Cetarios, Lanios, Piſtores, Fartores, Coquos, Vnguentarios

...s nomẽ ...is, ſed ...æ nomen.

Pura uerborum copia nõ aliunde, quàm à Cicerone petenda.

Latinè loqui cupienti unus Cicero legendus.

guentarios pertinentia: uel ad religionem noſtræ ætatis accommodanda: an ita certè multa ſunt, ut eorum partem tibi nõ promat Cicero: partem aliunde uel ſeſquihora accerſere nequeas? Itaq;, quod ad uerborum copiam, ubertatemq́; faciat, confert planè nihil reliquorum Autorum lectio: eruditionem fortè auget, & hiſtoria, exẽplisq́; cumulat. Latinè loquatur Liuius, Plinius uterq;, Quintilianus, Gellius, Columella, Vegetius, Vitruuius, Seneca: non alijs tamen uerbis, atque Cicero, utuntur: ſed aliter compoſitis, hiulcè ſæpe, & uaſtè contextis, nec ad numeros Latinos, & germanam linguæ Latinæ phraſim cadentibus. Quare qui Latinè loqui optet, unum ei Ciceronem imitãdum cenſeo: nullum præthereà adiungendum aut ad ſermonis puritatem, aut elegantiam. At uerò Cicerone uno, prætereà nullo, cùm utendum moneo, ſic certè moneo, ut, quæ apud Ciceronem reperias, non aliunde accerſas: quæ deſunt, à puro, & bene Latino ſcriptore mutueris. quanquam uix mihi quiſquam perſuadeat, Ciceronis libros ita uerborũ inopes, ut ad rem quamlibet & ornatè, & plenè tractandam, ſermonis copiam non adminiſtrent. Ciceronianum nomen inuidia liberent Ciceronis obtrectatores: pro Cicerone penum linguæ Latinæ dicãt. An, quæ in penu ſunt integerrima, & optima omnia, ſibi non uſui eſſe malint, quàm aliena, eaq́; corrupta, & inquinata, atque undiq; corrogata? an præpoſteri eſt quiſquã adeò ingenij, ut fruge oblata, glãde ueſci in delicijs habeat?

ut aliorum ſordes miretur? diuinitus à Cicerone ac-
ceptam,& nobis relictam linguæ Latinæ puritatē,
candoremq́ negligat? Sed ne hoc loco noſtra mo-
roſitas accuſanda uideatur,ſcriptores quidē omneis
Scriptores omnes legendi: ſed nullus imitandus præter Ciceronem. Latinos diligenter uoluendos, & accuratè, ſtudio-
ſeq́ legendos non ueto:at extra Ciceronem nullum
quenquam imitandum ſuadeo:à quo reliquis omni-
bus aliquid acceſsit:cui nihil à cæteris acceptum eſt:
ad quem reliqui ſeſe effinxere: qui nullius autoris
Latini imitatione uſus eſt, ſua ſponte omnibus nu-
meris abſolutus,& perfectus:reliquis omnibus ma-
ior,nullo neq; Græco,neq; Latino inferior: ad cu-
ius imitationem contendere illuſtrius ſit,quàm reli-
quorum eloquentiam ſuperare præſtantius. Et cer-
Quare reliqui ſcriptores legendi. tè ſi alijs operam dandam,aut horas aliquot tribuen
das adhorter,his nominibus adhortabor. Primùm,
ut,quid à Cicerone tum uerborum, tum ſententiarū
uel ſumant,uel ſurripiant,uel mutuentur,depræhen
damus, & ad illius imitationem alacriores efficia-
mur, à quo magni etiam nominis ſcriptores multa
Simile. ſumere perſpiciamus. Deinde, ut, quemadmodum
qui de recta declinant, ubi in deuia aliquantum aber
rarint,& per ſalebroſos,minimeq́ planos locos iter
languentes fecerint,optatius in uiam redeunt,atque
rectà attentius inambulant: ſic per omnia Autorum
ſcripta ſatis prima ætate diuagati, errore tandem
percepto, nos ad Ciceronem cupidius recipiamus,
totosq́ conferamus. Poſtremò, ut ſicut obtuſum
Simile. quotidiani cibi ſuauitate palatū, aceto,aut acerbiore
aliquo

aliquo iure irritamus,guſtatuiq́ cōſulimus:ita aſsidua Ciceronis lectione cōtractum (ſi quod contrahi poteſt) faſtidium,Autorum crudiorū acerbitate depellamus:aut,quaſi oſcitantes, & obdormientes, incondito aliorum ſcriptorum ſtrepitu, & murmure excitemur, ac noua relictæ uoluptatis, id eſt, intermiſſæ Ciceronianæ lectionis cupiditate ſubſiliamus. Re alia nulla,quàm iſta alacritatis renouatione,Scriptores omneis magis conferre, aut prodeſſe non opinor. At ne arbitretur aliquis, in Ciceronianis à me numerari, qui collectas ex Cicerone aliquot loquendi formas paſsim,& ubiq́ inculcant,grammaticorum elementorum interdum ignari: ego certè Ciceroniani nomen ei tribuam, qui Ciceronem diligenter legerit: qui Ciceronem intus, & in cute nouerit: qui Ciceronem una lectione non uorarit, aut abſorpſerit:ſed ſenſim delibarit,deguſtarit,reguſtarit,exhauſerit, beneq́ cōcoxerit. Verborum autem copiam ita à Cicerone comparandam monemus,ut detur à nobis opera,ne integros uerſus mutuemur, aut quaſi centones quoſdam ex Ciceronis uerbis cōſuamus: uel, quæ apud illum rariora ſunt, potius imitemur,quàm quæ uſitata,& paſsim occurrentia. Præcipuum ſit hoc quoque, ut illius uerba omnia tanquam in emblemate uermiculato expoſita diſpiciamus,animaduertamusq́, quid elegās,quid mundum,quid proprium,quid tranſlatum,quid in alienum locum immigret,quid in ſuo conſidat:quid uariè ſtructum,quid diuerſè; quid purum ſit, & ſimplex,

Qui Ciceroni nominandi.

Quomodo uerborum copia Cicerone petenda.

Quid primùm in Cicerone legendo attēdendum.

plex,quid collocatum,quid compoſitum,& coniunctum: quid duplicatum, quid exaggeratum, quid iteratum,quid cõmutatum,quid ornatus cauſſa iniectum,quid officio fungens,& neceſſarium,quid ſtridens, quid lene,quid fluens,quid adhæreſcens.

Secunda pars imitationis.

Animaduerſa ſic proprietate, atq; ſignificatione uerborum,tutò ad ſententias progrediemur. Sentẽtiarum uarietatem,uim,copiam,grauitatem adminiſtrat magis natura,quàm imitatio. Neq; aliter pictoris labor irritum cadat,qui ad ſingulos literarum ductus,penicillos paratos,coloresq; in prõptu non habeat,quàm qui orationi conficiendæ incumbens,ſententias aliunde colligat,non eas ultro,benigneq; offerentem naturam ſequatur. Ciceronis tamen lectionem in hoc genere maximè neceſſariam arbitramur,ut uelut conſopitam ſomno cogitationem noſtram,uel eam ipſam oſcitantem, & dormitantem ſuſcitet,& exacuat: animumq; percutiat,eorum,quæ inſignita,illuſtria,explicataq; legimus,traducta in memoriam imago:ac,quæ inchoata ſunt,et rudia tantùm in animis noſtris ſenſa,in uim maiorẽ deducat, faciatq;, ut ſcribentibus nobis præſto ſint ea,& accincta. Recordamur multis ſæpe locis,quid acutè,quid grauiter,quid remiſsè Cicero:quæ quanquàm non iiſdem uerbis, aut non eodem orationis ſono ad rem noſtram transferamus, iuuant tamen, & ad ſimilitudinem inuitant,nihil minus quàm alienis inuentis ſimilem: ſicq; unius uerbi imagine, totius ſententiæ ſæpe fit informatio. Aqua dum nobis interdum

Simile.

Ciceronis lectio etiam in ſententijs comparandis iuuat.

interdum hæret, & cùm perplexi in medio curſu ſubſiſtimus, obuiàm prodit loci in eandem rationē à Cicerone tractati memoria, quæ nos dubitantes impellat, & excogitationi noſtræ animos faciat, doceatq́, quatenus aut pes in rem præſentem efferēdus ſit, aut à propoſito referendus. Atq; licet uiam, qua nobis aliquò proficiſcendum eſt, non ignoremus, et latè ſemita pateat: tamen ſi, qui illac iter rectà fecit, eius ueſtigia appareant, tametſi pedem in eadem nō imprimamus, dubitationem omnem ſanè adimunt, &, ut ſine erroris ſuſpicione inambulemus, admonent. Sic, quàmuis cōmunis eſt ſententiarum excogitatio, atq; uarietas, ijs tamen ut rectè, commodeq́ utendum ſit, uiam quaſi indicat, & oſtendit Cicero ſentētijs maximè omnium creber, atq; frequentatus. In quo imitādo quid impedit, quin aurificum induſtriā, atq; artem æmulemur? An, ſi à te bracteam illi accipiāt, non eam, ſi libet, ſic immutēt, ut nihil formę primæ maneat? An nō ex Catello Leonem: tum ex Leone Catellum cōflent? Ita ſententias ex Cicerone collectas ſic inuertere arte noſtra poſſumus, ut ſua, ſi uiuat, Cicero nō agnoſcat, ut furti non agat, ut nihil iure repetat. Quapropter, quandoquidem ſentētiæ lumina ſunt, & gemmæ orationis, non ex ſtercore eas conquirendas, eliciendasq́ putem, ſed ex ditiſsimo Ciceronis mundo, gēmis lectiſsimis, & undiq; pellucentibus ſpectabili. Sententiarum uerò uarietatē ſic nullo negotio, Ciceronē legēdo, dignoſcas, & quæras, ſi omnia eodem ſemper modo oratori

Simile.

Simile.

non

non dicenda intelligas: ſi (ut ille) omneis locos ingenioſè ſcrutere, & perueſtiges, ex quibus eruas argumenta: obſeruesq́, ut ille uerecundis (quod ferè fit) minimeq́ pugnacibus principijs: ut intenſis (quod raro faciendum) ut elatis, ut uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad ſui commendationem paratis: ut narrationibus explicatis, & dilucidis utitur: ut tenue filum in docendo ſequitur: ut callidius, & argutius interdum argumentatur: ut pro ratione temporis, et cauſſæ natura, Iudicum animos flectit, afficit, regit: ut quibuſdam locis uim eloquentiæ totam expromit, ut ſeſe totum numeroſè, & uolubiliter fundit: ut res auget, & amplificat: ut neruoſius, uehementius, concitatiusq́ inſurgit: ut leniter ſe remittit: ut lamentatione, & plangore forum aliquando complet: ut omnia aptè, eleganter, peritè, prudenter, ingenioſè, artificioſeq́ agit. Ea ipſa qui animo percurſa habebit, ſententiarum non carebit uarietate, aut copia. Sed de his hactenus.

Poſtrema imitationis pars.

Sequitur, ut, quæ extrema eſt imitationis pars, breuiter à nobis explicetur: dicamusq́ de compoſitionis lenitate. Lenitatem compoſitionis efficiunt ſonus ipſe, & numerus, quibus ſtylum à ſtylo facilè diſtinguas. Soluta autem quàmuis ſit oratio, ingredi tamen, & procedere liberè debet potius, quàm uel uagari, uel licenter errare. Circunſcriptione, & ambitu, tanquam in orbe incluſa currat, ac in quadrum, numerumq́ redigatur. In quo, ſuperbiſsimo aurium iudicio morigeramur: quæ perfecto, completoq́

Numeri oratorij.

pletoq́ uerborum circuitu, & concinna coagmenta-
tione gaudent: quæ curta ſentiunt: quæ redūdantia,
& laſciua repudiant: quæ moroſè expectant, ut aptè
uerbis colligata cadat ſententia. Itaq́, quod huc per-
tinet, quid in Cicerone diligentius obſerues, quàm
quæ numeroſa ſunt, & ſonora? Exercitatus, ſcio, ſty-
lus hanc compoſitionis ſuauitatem præſtat, ubi niſi
adſit naturæ felicitas, nihil effeceris. Conducit tamē
apud Ciceronē numeroſæ orationis ſtudioſum ac-
curatè circunſpicere, qua potiſsimùm ratione uerba
inter ſe collocet, numeroſamq́, & aptam compræ-
henſionem extruat. In primis habet quoddam dele-
ctationis aucupium conglutinatio uerborum, & cir
cuitus, non contractus ille quidem, & minutus, ſed
ſine elaboratæ concinnitatis ſignificatione molliter,
leniterq́ deſinens. Collocari autem uerba ita à Cice-
rone cernimus, ut inter ſe quàm aptiſsimè cohęreāt.
Vocalium concurſum ſuo more uitat, ne orationis
hiatum, atq́ ſonum aſperum indecorè efficiant: à li-
terarum uaſtitate refugit, ne ſtridant horridius, atq́
obſcœnius. Antitheta crebrò confert, quę numerum
oratorium ipſa neceſsitate gignunt, & ſine induſtria
conficiunt. Non, ut pleriq́, infracta, & amputata lo-
quitur: finitis, & aptis lætatur, mauultq́ orationem
pariter cum ſententia excurrere, quàm inconditam
claudicare, aut inſiſtere. Sic tamen continuandi ſunt,
& perpetuandi numeri in oratione, ut uerſus ſonum
effugiamus. Permixta ſit ita, & temperata numeris,
ut diſſoluta tantùm ne uideatur: lateat quadrandæ

Vocalium concurſum indecētem Cicero uitat.

Quomodo cōtinuandi numeri in oratione.

orationis induſtria: ſic miſceantur, ſic temperentur, ſic præteruolent numeri, tantùm ut non fluctuare, & uacillare orationẽ noſtram ſentiant, qui eam æqualiter, & conſtanter ingredi cupiunt: anguſtam, conciſamq́ uerborum ſtructuram odere. Nihil fiat extra modum: ne poëma cõponere exiſtimemur, poëmatis ſimilitudinem uitemus. Sic numeros obſeruemus, ut non toti è numeris conſtare, ſed ne numeros aſpernari, aut negligere: ut non ambitum illum nimiùm amplecti, ſed ne abijcere ijs dicamur, qui neq; agreſtes, neq; inhumanas, neque ruſticas aures habent. Non quibuslibet generaliter partibus numeri interſerantur: numeris tantùm terminetur ſententia, numeroſè ſolùm cadat uniuerſa orationis ſpecies: nõ à numeris uacet, in quo aures acquieſcunt, uerborum *Ordo numeros oratorios efficit.* compræhenſionis exitus. Cæterùm, ne, quod oratorium numerum efficit, ſilentio, tacitus'que prætereã, ordini hæc omnis laus tribuenda eſt: quo, ut par eſt, ſeruato, omnia numeroſe', atq; iucundè fluunt: quo paulùm cõmutato, ijſdem uerbis, eadem ſtante ſententia, ad nihilum omnia recidunt, dilabuntur'que perplexa, & obſcuritate infuſcata. Quem cùm Ciceronis lectione cognitum, atque animo compræhenſum habebimus, tum illud non ignorabimus; quibus rebus, locisq́ cõueniat numeroſa oratio: quibus item orationis partibus proprius ſit, & congruus uel dactylus, uel anapeſtus, uel ſpõdæus, uel trochęus, uel iãbus, uel pæon, uel creticus, uel dochimus, uel dichoreus. Itaq;, quod eſt pulchrè, et oratoriè dicere,

uerbis lectiſsimis loqui, ſentētijs optimis uti, orationem molliter, æquabiliterq́ ſtruere, cùm nos id doceat Cicero, quid aliorū nugas, ſordesq́ ſectemur? quid expetamus? quid uel pili faciamus?

Liquet igitur, imitationem tribus partibus conſtare: ſingulari nimirum uerborum delectu, & ſplendore eximio: grata ſententiarum uarietate, & grauitate: leni, ſuauiq́ cōpoſitionis fluxu. Liquet item, ea omnia à Cicerone petenda. Id quod ſatis iam demōſtrarimus: & plenius quidem oſtendimus in Dialogo noſtro Ciceroniano contra Eraſmum: unde hæc etiā omnia eiſdē penè uerbis excerpta ſunt. Quam ob rem ſi nos noſtra plus ſemel uſurpare, & inculcare uociferabitur Floridus, nihil nos commouebunt morionis maledicta. Iure enim noſtro id facimus: & rectè, docteq́ ſcripta decies repetita placebunt. Ac ob id maximè hîc de induſtria repetiuimus, quæ in Dialogo noſtro Ciceroniano de imitatione diſputantur, ut iudicent Lectores, an iuſtum argumentum Sabinus (Morionis nomen recognoſcatur) habuerit noſtra uel calumniandi, uel reprehendendi. Vt tamen præceps temeritate fertur, ea calumniari, reprehendereq́ non erubuit, quæ, ut uera, & probabilia, amplecti debebat. Atque unde noſtræ laudis exurgebat materia, illinc reprehenſionis cauſam aucupatus eſt. Sed quouſque tandem inſaniet? quouſque tanta tandem animi diſſolutione erit, ut tortuoſi ingenij famam non refugiat? ut ab omnibus rideri uelit? ut uel tantula boni nominis parte etiā Epilogus.

abuti nolit? Nam nomine bono uti non poteſt, qui in tanta uerſatur peruerſitate. At prætermiſsis hominis nefarij moribus (ne eadē, qua ille in moribus aliorum temere, petulanterq́; notādis, malitia abundare uideamur) ueniemus ad ea, quę huius Operis reliqua ſunt. Sunt autem partim de re Literaria: partim eorū maledictorum confutationis, quibus nos flagitioſus iſte obtrectator laceſsit.

STEPH. DOLETVS GVLIELMO BIGOTIO.

GRAVITER (fateor) ſolùm tuli temerariam iſtam Floridi deſpicientiam, qua Ciceronis amatores ab eo alienare contendit. Atq; id fecit, ut de imitatione Ciceroniana ſcribere continuò uoluerim, Iuuentutē bene erga Ciceronē animatam pro uirili retinens, & Ciceronianæ imitationis rudeis breuiter, familiariterq; edocens. Quod autem ad ridicula illius maledicta pertinet, quibus me effrenatè appetit, nullo certè loco apud me prorſus ſunt. Quid enim uel tantulum quidem commouear hominis debacchantis furore? Quid ni ineptam inepti Morionis loquacitatem rideam? Veruntamen quoniam noſtra ad illius calumnias reſponſio eruditione non carebit, ut ſemper à nobis aliquid in communem utilitatem conferatur, reſpōdere tandem conſtituimus. Hic hic uerò eſt,

hic inquam eſt, ubi te cauſæ noſtræ arbitrũ, iudicemq́ expetimus: neq́ te ſanè ſolum, ſed doctos etiam omneis, quot quot habet Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, Britannia. At unum eſt, quod me penè totum ab hac reſponſione abducit: nempe incredibilis Obtrectatoris noſtri infantia. Scio enim (quæ illius eſt inſcitia, atq́ barbaries) non magis ea intellecturum, quæ mox à nobis diſputabuntur, quàm quæ antea calumniatus eſt, abſurdeq́ repræhendit. Quid facias? Et nos inquam, ut publicæ utilitati ſeruiamus, ingenio bardo hominem, ſtultum, infantem, barbarum, rerum omnium (niſi uitii, & ſceleratæ mentis) expertem, nullius numeri, nullius nominis ſtipitem reſponſione noſtra dignatum facilè hercle patimur. Tu animum ad defenſionem iam aduerte.

STEHP.

STEPH. DOLETI GALLI

AVRELII RESPONSIONIS AD CONVITIA FLORIDI SABINI,

PRIMA PARS.

QVID in nos primùm uomis Floride? quid debaccharis (ijs in te uocibus uti poſſum: nã nec ſiccus, nec niſi emota mente contumeliam nobis facere conatus es) quid uociferaris? quid ringeris?

Vt amplam muliebris garrulitatis materiem habeas, ſingula Ciceroniani noſtri in Eraſmum dialogi capita perſequeris, Eraſmi cauſam ſuſcipis: quãq; ille uiuus defendere non potuit, defendere te poſſe arbitraris. Macte animi, Morio: ſtultitiæ tuæ nauiter, enixeq; ſerui: maledicendi, calumniãdiq; anſam undique uiriliter arripe. Ergo Ciceronianos præſidium in me ſuum poſuiſſe, iniquo animo pateris. *Maledictorum partitio.* Acerbè etiam fers, quòd meum ab Eraſmico ſtylum diſtinguen

diſtinguendum in meo contra illum Dialogo mo-
nuerim. Neque noſtrum tibi placet de Eraſmo, &
Chriſtophoro longolio iudicium. Hîc breuiter à
me ad omnia ſic habeto. Suum in me præſidium ſi
amatores Ciceronis collocarunt, ſpe hercle non fal-
luntur. Nam qui Ciceronis ſtudioſior me fuerit,
agnoſco prorſus neminem. Quid autem in eius le-
ctione profecerim, tum uerò declaro, cùm, quæ ſcri-
bo, & purè, & Latinè prorſus ſcribo. Quòd ſi illi
me & bene animato, & à Ciceroniana copia eximiè
parato nituntur, quid te, tuiq́ ſimileis imbecilleis
Ciceronianæ eloquẽtiæ oppugnatores reformidẽt?
Inuidentia hoc loco diſrumparis licet: nam tantùm
ut dolorem tibi faciam, de me hæc prædico: cui ſcio
& exiſtimationem, & nomen parũ iucundum meũ.
Sed ut iam acerbius afficiaris, de meo, & Eraſmi
ſtylo liberius hoc dicam. Purius, ornatius, ſplendi-
dius, diligentius obſeruatis numeris, maiori ſenten-
tiarum pondere, atque grauitate, exactiori in omni-
bus iudicio, prudentiaq́, quàm Eraſmus, niſi ipſe
omnia, quæ uellem, Latinè ſcriberẽ, Naturam mihi
iniquam, uitam mihi acerbam, operam mihi omnẽ
in ſtudio eloquentiæ periiſſe arbitrarer. Nec uerò
arroganter hoc dictum exiſtimari uelim. Nam con
fuſam autorum multipliciũ imitationẽ cõcedens &
Eraſmo, & multis, quod eſt Ciceroniani propriũ,
purè, ornatè, ſplẽdidè, numeroſè ſcribere (quoniã in
Ciceronis ſtudio bonã iam ætatis partẽ conſumpſi)
ſi id mihi aſſumo, uideor id meo iure quodã modo
uendicare.

De Eraſmi, & Doleti ſtylo.

uendicare. Nunc ægrè fer Eraſmum à me flacci-
dum nominari, meũ illi ſtylum anteponi. At quan-
tò tu magis flaccidus uideris, dum noſtra tuis per-
miſces! Quis tum tua, ut frigida, & intermortua, *Flaccidus Floridi ſtylus.*
non refugiat? Quis noſtra, ut Ciceroniana, & pla-
nè Latina non amplexetur? Etiam meretricum uul-
go minus cautus iudicandus es. Siquidem formo- *Floridus meretricũ uulgo incautior.*
ſioribus ſe ancillis nunquam comitatæ in publicum
prodeunt, ne præ ijs in contemptum amatoribus
ueniant. At tu prudentia communi, & iudicio pror-
ſus deſtitutus, noſtra comprimere non nouiſti: quæ
tuis adiuncta, tibi toti obſtruunt, ac ſuum lumen,
ſplendoremq́ retinent. Quibus quidem dum ina-
nem uerborũ tantùm ſtrepitum tribuis, & noſtrum
de imitatione Ciceroniana Dialogum nihil habere
aliud, quàm perpetuas nugas, & uanæ garrulitatis
ſtudium indefeſſum ais, mente captum unum ali-
quem audire mihi uideor, qui Homerum indo-
ctum, Ariſtotelem rerum rudem, Platonem Phi-
loſophiæ imperitum, Ciceronem barbarum, aut
infantem, Vergilium ignarum appellet. Hæc ſi quis *Floridum inſaniæ plenum: rationis expertem eſſe.*
dicat, nonne inſanire exiſtimetur? quippe qui inſa-
niæ ſuæ morem gerat: ratione nulla nitatur. Sic
nonne inſanus habearis, qui, cùm noſtra coneris re-
præhendere, nullam tamen probabilem repræhen-
ſionis cauſam affers? Dialogum noſtrum plenum
nugis, & garrulitate clamas. At ſaltem caput ali-
quod ex eo ſeligeres, quod refutares, quod falſum,
quod inane demonſtrares. Apageſis cum tua iſta

inſipida mēte, Belua: repræhenſionem tuam ratione aliqua fulci, aliàs riſus, & fabula cuiuis omnino futurus. Porrò autem à mendacijs nefarijs, quibus totus conſutus es, in poſterum abſtineto. Cedo, ubi autores quoſuis ſiue oratores, ſiue poëtas, non legendos admonui? Legendos contrà ſemper omneis monui & oratores, & hiſtoricos, & poëtas: atque ab ijs petendam uerborum copiam (ſi ea Latina ſit, & ſplendida) rerum cognitionem, & ſcientiam comparandam: at ad Ciceronem cuiuſuis ſtylum componi, formarique uolui. Idque eò, quòd, ſi à Cicerone diſcedamus, nullus facilè reperitur, qui ueram, germanamque ſtyli Latini imaginem, ſimulachrum'que præſtet. Italicè omnes loquuntur in Italia: Gallicè in Gallia: Hiſpanicè in Hiſpania: Britannicè in Britannia: Germanicè in Germania: ſed tamen inter omneis cuiuſuis nationis ordines unus aliquis feliciter natus exiſtit, qui natiua quadam loquendi proprietate, atque elegantia ſuos omneis æqualeis ſuperat, neque parem, aut maiorem nanciſcitur. Sic perfecto illo linguæ Latinæ ſeculo fuerunt Cicero, Salluſtius, Cæſar, Plancus, Cælius (eos tantùm recēſeo, quorum aliqua monumēta excepit Poſteritas) Metellus, D. Brutus, M. Antonius, M. Lepidus, Caſſius, S. Sulpitius, S. Galba, C. Aſinius Pollio, C. Matius, P. Lentulus, C. Trebonius (& reliqui, quorum extant etiam nunc epiſtolæ in Ciceronis epiſtolis) quis tamen eorum Ciceronis puritatem, facilitatem, aut uenuſtatem æquat? Singulorum

Floridus mendacijs totus cōſutus.

Cicero ſuos omneis Aequales ſuperauit eloquentia.

epiſtolas

epiſtolas ter, quaterq́ legito, uoces ſingulas expendito, ſtylum conſiderato, aut te nullius iudicij fatearis neceſſe eſt, aut in ijs pleraq́ eſſe cõfitearis & ſubdura, & non ſatis perſpicua, & aſperè, hiulceq́ coniuncta. Quòd ſi deinde ad Ciceronem te conuertas, tunc uelut te monente, et ad ſingula tibi inſuſurrante Roma, ueram linguæ Latinę phraſim recognoſces. Ex ijs uerò omnibus, quos ſuprà nominaui, unum Cæſarem ſemper excipio, quem uerborũ puritate, & ſtyli ſuauitate nunquam Cicerone inferiorem cõcedam. At extra hunc, & Ciceronem nulli prorſus cuiquam in ſtylo formando adhærendum ſuadebo. His tamen Salluſtium licet adiungere: ſed non in omnibus, ut illi ſunt, imitandum. Nimia in Salluſtio fuit uerborum antiquatorum aſſertio: aures etiam teretes non ſatis aliquando (ut ille ipſe Cæſar) numeris ſuis explet. Sed diuinos illos linguæ Latinæ principes potius ueneremur, quàm in re quapiã ſuggillemus. Suum enim gradum quiſq́ obtinet: nec, quãquàm alij alijs minus admirabiles, atq́ diuini ſint, idcirco in ordinem abiectiorem redigendi ſunt: ſed potius in uſum noſtrum, ſi quando ijs opus erit, prudenter, apteq́ conuertendi. Quid tu? Meum iterum de Longolio, & Eraſmo iudiciũ proferri uis? Iterum certè feram. Longolius uerę Latinitatis amans, quo illa præcipuè conſtat, illum ſibi imitandum propoſuit, perfecitq́, atq́ tandem aſſecutus eſt, ut eius quàm ſimillimus euaderet. Eraſmus autem alio ingenio natus fontem ipſum neglexit, &

Cæſar nõ minus eloquens, quàm Cicero.

Salluſtius uerborum antiquorum amans.

Doleti iudiciũ de Eraſmo, & Longolio.

riuos undique conſectans, aridus ſemper fuit, nulla maiori eloquentia abundans. In hoc genere uter utri præſtare dicẽdus ſit, aut uides, aut ſenſu planè cares. Perfectam ſcribendi formam ſecutus eſt, et aſſecutus Longolius: quam Eraſmus contempſit, & ea deſtitutus eſt. Quid? num Eraſmo igitur præſtantior in eloquentia Longolius? num laude dicendi cumulatior? At ille pulcherrimum Adagiorum opus conſcripſit: hic nihil habet præter exiguam imitationis imaginem. Quantum hîc mihi riſum præbes, Floride? Qua parte Longolium deprimere te putas, ea maximè omnibus in ore eſt: ſiquidẽ Ciceronis imitatione tam propè ad Ciceronem accedens, ut nihil ſcribat, quod non eodem ſcribendi modo ſcripturus fuiſſe Cicero uideatur. Quo autem nomine Eraſmum laudibus in cœlum effers, eo totus apud doctos friget. Quid enim habet illa Adagiorum farrago, præter ſuperuacaneũ otioſi ſenis laborem, & ſurreptas omnium undique uigilias? An quicquam citat, uel explicat in Adagijs ſuis Eraſmus, quod apud alios aut Græcos, aut Latinos ſcriptores, interpretesq́ non reperias? Nulla iſtiuſmodi laboribus concitatur ingenij admiratio, nulla quæritur nominis immortalitas: præſertim cùm tumultuariè id præſtes, nullo (quemadmodum in Adagijs Eraſmus) obſeruato ordine. Sed ſimili Lõgolij ſtylo nulli non te admirabilem reddas, nullam non gloriam aſſequaris. Nam puræ Latinitatis expreſsio omnibus utilis eſt. Adagiorum iſta affectatio cui, quæſo, uſui?

Eraſmi adagia.

quid

quid in ſcribendo iuuat, niſi ut ſtylum implicet, & contrariam eloquētiæ obſcuritatem afferat? oratio- ni lenitatem adimat? curioſitate nimia auditorem enecet? At (inquis Morio) plus eruditionis habent Eraſmi ſcripta, quàm Lōgolij, & reliquorū Cicero- nis imitatorū. O' populares, incolæ, accolę Latinorū finium: ecquid uiuit, ecquid uixit, ecquid uicturū eſt Florido ſtolidius? Quaſi uerò Ciceronis imitatio cuiquam eruditionem intercludat. Quid ais, Belua? an in Longolio pro argumētis ab eo tractatis erudi- tionem requiras? Tu quam tantopere effers in Eraſ- mo eruditionem (ueſtra iterum pace hoc dixero, pij Eraſmi mânes: cauſæ meæ coactus ſeruio) quam doctrinæ magnitudinem prædicas? Superuaca- neam in Theologia garrulitatē illi deme: quid nos prætereà docet? quibus nos diſciplinis inſtruit? an Philoſophia? an Aſtrologia? an Geometria? an Geographia? an Dialectica? an Medicina? an de- nique Grammatica? Quicquid tamen nominis ſuis ſibi laboribus peperit, id omne ex Grammaticis præceptionibus manat. Nam que opera Eraſmi magis celebria? quæ magis in manibus uerſantur, quàm illius paraphraſis in Vallam? quàm Libellus de octo partibus orationis? quàm de copia uerbo- rum? quàm de conſcribendis epiſtolis? Reliqua illius monumenta aut iam quidem interierunt, aut breui interitura ſunt: quanquàm nominis immor- talitatis auidus teſtamento pecuniam reliquerit ad eius Operum certos Tomos excudendos: qui proxi *Eraſmi Oper. in Tomos re. dacta.*

D 3 mè

me è Germania ad nos allati ſunt, aſinaria mehercu-le ſarcina grandiores. Sed iam per me quieſcat Eraſ-mus. Tu etiam, Floride, ne expecta, ut ſingulatim ad tua uinolenta ſomnia reſpondeam. Semel hic de imitatione Ciceroniana ſic pronuntiabo. Quod ad uerborum copiam, & dictionis uarietatē, diuitiasq́ parandas attinet, ſi uel cauſarum defenſionem ſuſci-pias, uel hiſtoriam ſcribas, uel carmen condas, uel de religione noſtræ ætatis loquaris, & tibi neceſſa-ria uerba apud Ciceronem non reperias, nullis pror-ſus bene Latinis Scriptoribus tibi interdictū uolo: ſed id tamen uolo, collectam uerborum copiam ad Ciceronianā dicendi phraſim omnino conformari: quæ haud dubiè neque in hiſtoria, neq; in carmine, neque in quouis tractando argumento aut dura, aut abſurda, aut indecens uideri poteſt. Iam garri, iam blatera, iam cœlum, & terram in me miſce: loquaci-tate (qua totus perſtrepis) omneis impudenter ob-tunde: nihil à me ultrà de imitatione (niſi in primis neceſſariò) extorquebis. Sed tamen, antequàm ad reliqua tua maledicta progrediar, te amicè admone-bo (licet id non poſtulet ingenij tui peruerſitas) ut, ſi reſipiſcere decreueris: id eſt, uerè Latinè loqui cō-ſtitueris, antiquatis pleriſq; uocibus uti iam deſinas. Cuiuſmodi ſunt, ſingulariſsimus, obſequela: & ſex-centa alia uocabula Latinis auribus inuſitata. Tan-tùm, quæ, cùm hæc ſcriberem, mihi in tuis ſcriptis paſsim occurrerunt, annoto. Nam caue putes, tua omnia opera me legiſſe; meas enim horas tam malè

Quid faciēdum in imitatione Ciceroniana.

Floridi barbaries.

nõ colloco. At cùm tuarũ lectionum ſucciſiuarum librum lectione ſucciſiua percurrerem, in tuas iſtiuſmodi uoces incidi: unde coniecturam ſtatim feci, te non magis in cæteris purũ eſſe. Atqui non me clam eſt, apud Plautum obſequelam reperiri: ſed bona dictionis Plautinę pars obſoleta cenſenda eſt. Et ſanè, quoniam non id præter rem omnino facturi uidemur, hìc noſtrum de Plauto, & Terentio iudicium libet inſerere, quod in Terentij exemplaribus apud nos excuſis ſecunda continuò pagina omnibus ſeſe offert. Eò autẽ id à me fiet, ut noſcant hìc docti, quàm te uerius, & prudentius de illis Poëtis (nam te plus æquo fauere Plauto, certum eſt) iudicium fecerim. Sic uerò habent noſtra carmina.

Doleti iudicium de Plauto, & Terentio.

Græcos Poëtas Comicos mitto libens:
De Latinis quid ſentiam, iam iam eloquar.
Plautum Terentio qui obſtinatè præferunt,
Grauiter mihi uidentur errare. Siquidem
Nemo negat Plauto ſermonis Latii
Proprietatem ſupremam. Sed nec ea deeſt
Terentio, uel maior. Atq; præterea
Seruile Plauti ingenium, & plebeium nimis,
Terentius liberali ſtylo, & extra ſales
Vulgareis poſito non uulgariter ſuperat.
In hoc, Latinæ Muſæ, parcite Sedigito,
Qui principi Latinæ Comœdiæ abſtulit
Meritam hercle laudem, ſi Comico cuiquam alii.

exiſtimationis acceſsione arbitrabatur, ſi, quem uiuum adoriri (nedum offendere) pungere'ue timebat, mortuum impudenter oblatraret, atq; perfidioſè morderet. Habes, quæ me in Eraſmum commouerunt, quibusq; adductus ſum, ut Longolij mortui dignitatem defendendam ſuſciperem, præſtoq; eſſem Iuuentuti Ciceronis ſtudioſæ ab Eraſmo conuicijs laceratæ. De Italo autem, cuius impoſturas à me in lucem prolatas tam grauiter doles: quoq; relicto in Eraſmum me inuectum ais, hîc inſeram, quæ à me uarijs locis ſcripta ſũt: ſed id ſuppreſſo nomine, quãdoquidem & tu illud ſupprimis, ne per ſe ſatis apud Gallos, Italosq; cognitum, notius ipſe faceres. Itaq; ſic de eo ſcribimus Libro primo noſtrarũ epiſtolarum, epiſtola decima tertia, ad Franciſcum Langiachum. Nouus apud nos (ijs uerbis eſt ille locus) eloquentiæ parens ab Orco prodijt: imò ab Italia erupit quidam ad nos linguæ Latinæ ignarus, & artium omnium indoctus Nebulo: cui cùm alia nulla impoſtura ſuccederet, hanc tandem pecuniæ quærẽdæ rationem inijt, ut tum linguæ Latinæ uſum, tum orationis facultatem, & uerſus faciendi artem minus menſe promittat: rem in omni memoria inauditam, & riſu perpetuo dignam: cuius rationem tibi ſi conſtare optes, perinde facias, atq; ſi operã des, ut cum ratione inſanias. Regem tamen (ut Gallis quibuſdã facilè uerba dantur) nummis pulchrè emunxit, commentarios illos pollicitus, quibus nos uel inuitos, aut ſtertentes omni eruditione imbuat. Hîc mihi

De quodam Italo.

Locus ex epiſtolis Doleti.

deeſſe doleo, quicum hæc prolixè rideam. Quid de ijs ſentias, à te uehementer expecto. Multos quidem in Gallia noui, quorũ ingenio, & labore perfectum iri ſpero, ut, quam ſibi eloquentiam, & literarum decus Itali ſuo uelut iure aſſumunt, Gallis quoq; commune intelligant, & nos infanteis appellare aliquando deſinant: qui neglecto literarum ſtudio mollitia plus cæteris fluunt, atque liqueſcunt.

Alius locus ex eiſdẽ epiſtolis.

IN EPISTOLA DEIN de ſequenti, ſic de eodem ſcribimus ad Iacobum Bordingum.

De eodẽ Italo.

De illo, qui homini rudi, & grammaticorum elementorum ignaro, trimeſtri ſpacio, linguę aut Gręcæ, aut Latinæ cognitionem ſua induſtria, operaq;, uelut uirgula diuina, dari pollicetur, prõptamq;, & expeditã de re quauis dicendi, ac ſcribẽdi facultatem ſpondet, Italici ingenij portentoſam oſtentationem agnoſco: tũ illius uerſus Horat. mihi in mentẽ uenit.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Tolerabilis utcunque tamen hominis impoſtura uideretur, ea niſi Regi illuſurum ſe ſperaret, &, quas omneis nouit pecuniæ uias, ijs apud nos uti uellet. Scilicet artis oratoriæ facultate uel dormientem beabit, qua, ut huius artis moroſi diſceptatores præſcribunt, abunde inſtructum nulla poſt hominum memoriam ætas adhuc tulit. Amphiteatrum ad deſignanda memoriæ loca ædificet: Commentarijs Ciceronianæ locutionis à Mario Nizolio adiuuetur: ecquid

ecquid ſentiã, quæris? uerſum Horatij repete. Non mihi probabit triuialis Rhetor, rem intra trimeſtre cõparari à rudi poſſe, cuius partem toto uitæ curſu, aſsiduo labore, cura, diligentia, uix quiſquã aſſequatur. Sed eum ſua frui inſania per nos quidẽ liceat, temereq́ promittat, cuius nec difficultatem norit, nec explicatã, exploratam'ue rationẽ habeat. Eſt tamẽ, quod permoleſtè feramus, Gallos ita Barbarorum, & rerum externarũ cupidos, atque ſtudioſos, ut ſua etiam laudatiſsima negligãt: aliena ſtultè, ridiculeq́ mirẽtur, & ſumptu magno emãt. Nam quid ego de illo dicam? quem nullo modo mihi perſuadebo, aut ad præſtantiſsimam, & à nemine ſatis laudandam Budæi doctrinam: aut ad raram, & ſtupendam Beraldi eloquentiã, atq; uolubilem linguã: aut Daneſij, Bunelliq́ puritatem, & facilitatẽ: aut ad Thuſani, & Gulielmi Mayni reconditam, atque eximiã eruditionẽ: aut ad Salmonij Macrini in uerſu ſcribendo uenuſtatem: aut ad Borbonij iucũditatem accedere. Budęum tamen, & Gallos omneis, qui literis liberalioribus politiſsimi ſunt, in ordinem redigi ſpectes, fortunis nullis augeri: cùm interim ad Italorum uentos, nugas, & pulmone diſtento, buccis'que intumeſcentibus facta uerba cõticeſcimus omnes, intentiq́ ora tenemus, noſtra patefacimus, elargimur, profundimus, & ab aſtuta, fraudulenta'que gente dolis circumueniri, pulchrum ſanè ducimus.

Galli externorũ ſtudioſi.

Budæus. Beraldus. Daneſius. Bunellus. Thuſanus. Salmonius Macrinus. Nicolaus Borbonius.

POST HAEC DVO ETIAM Epigrammata edidimus, ſic inſcripta.

IN ITALVM QVENDAM.

Ardua promittis, ſolo uel menſe diſertos
Cùm te nos ſpondes reddere poſſe uiros.
Promiſſum hoc nihil eſt, nihil eſt has fundere nugas:
Eſt quoque nil, Muſas uel ſuperare nouem.
Id tibi cum multis commune eſt: Gallia centum,
Qui facilè id præſtent, Gallia mille dabit.
Aſt aliud noſti ſolus, quo Pallada uincis,
Quicquid & Atlantis ſcit uafer ille nepos.
Vis dicam? noſti Reges emungere nummis.
Eſt id, quo doctum uincere quenque potes.
Hos nobis aſtus tua ſi documenta recludent,
Quis tibi pro tantis artibus aſtra neget?
Maior eris Phœbo: quòd ſi Iouis aula placebit,
Tu, Ioue depulſo, Iuppiter altus eris.

IN EVNDEM.

Ad Budæum: Gallos à ſuis ſperni, & negligi.

Budæe Galliæ decus præſtabile
Dic, te rogo per liberos
Charos tibi, & ſuaueis utroque plus oculo,
Recténe Gallum rideam
Externa ſic prorſus ſtupentem, ut negligat,

Quicquid

Quicquid ſuo gignat ſinu,
Quicquid uel ornati, aut opimi Gallia,
Diues, potensq́; Gallia
Et rebus, & uiris ferat. quid? num uides
(Id quod quidem dici pudet)
Vt, ſi uel ore blæſo apud nos Italus,
Vel prorſus infans balbutit,
Hermem putemus nuntium notum Poli,
Interpretemq́; numinum
Mandata nobis à Ioue alto exponere,
Apollinisq́; uti modis?
Quòd ſi uel Arpinate erit facundior
Gallus, uel Attico Rhetore,
Et digna Muſarum faciat uerba auribus,
Ac melle longè dulcius
Loquatur, artem Barbaram niſi probè
Ementiatur, & loquens
Vtranque buccam inflet, tumeſcatq́;, & crepet,
Et ima ſurgant ilia,
Suæ iacebit Galliæ, ac nullam auferet
Laudem artis, aut pretium eloquii.

Iudicent nunc docti, & nimio erga tuum impoſtorem affectu carẽtes uiri, num rectè, & uerè de illo ſcripſerim: num etiam minus uehementer, quàm hominis nequitia poſtulabat.

De Germanorum ſtylo.

Tu quoque omni conuitio dignus, qui perpetuo furore raptus tuo, uniuerſam Germaniam à me derideri, atque contemni dicis. Germaniam feliciſsimis, & præclariſsimis ingenijs abundare ſemper quidem confeſſus ſum: ſed qui puro, ueræq́ Latinitatis ſtylo uteretur, è Germaniæ hypocauſtis nullus adhuc, quod ſciam, nullus meo iudicio prodijt.

Budæus. Bembus. Sadoletus.

Quid deinde? Doletus (inquis) eorum, qui uiuunt, neminem præter Budæum, Sadoletum, ac Bembum, alicuius eruditionis eſſe putat: neque id quidem, quòd ita ſentiat, ſed ut Budæi gratiam frigida ſibi conciliet aſſentatiuncula: Sadoleti autem, Bembi'que nomen in hoc nouo imitationis genere defendendo inuidiæ opponat. Verba tua recognoſcis, Morio, tantæ inuidentiæ, quantæ temeritatis plena. Inuidentiæ: nam tuos etiam à me laudari doles. Temeritatis: nimirum me aſſentatione gratiam à quoquam aucupari prædicas? me, qui omnia ferè rideam, nihil penè admirer: tantum abeſt, ut quicquam cuiuſquam auribus dem, aut aſſentari nouerim. Budæum, Sadoletum, Bembum (tria noſtræ ætatis lumina) laudibus ſæpe, ut par eſt, cumulo: an id eſt illis aſſentari? Si quid illi in literis poſſunt, ſi quam gloriam ſunt adepti (ut certè ſunt adepti maximam) eam ſine noſtra laudatione quæſierunt, nuncq́ etiam obtinent. Et nos noſtram abſq; Budæo, Sadoleto, aut Bembo tuemur: neque noſtra honorifica de illis mentio quicquam mihi cõciliat: præterquàm quòd indicat, uirorum eximiè do-

ctorum laudibus libenter me inſeruire.

Sed poſtquàm id calumniatus es, eadem malitia in gulæ, & crapulæ uitio ponere nos cõtendis, quòd Eraſmi ineptijs in Dialogo noſtro Ciceroniano reſpondentes, ſic iampridem ſcripſerimus. Studiorũ laborem, uel, ſi ita appellare libet, triſtitiam hilaritate condire, remittere, intermittere, animos relaxare nouerunt docti. Corpus bene curatum, & liberius educatum poſtulant literæ: uictum paulò delicatiorem, et unctiorem amãt, languidiorem corporis cõſtitutionem non tolerant, opimiorem poſcunt: triſtem animum, aut tædio affectum repudiant, angorem à ſe arcent.

Corpus bene curatũ poſtulant literæ.

Sic nos ſcripſiſſe non negamus. Ecquæ ſe iuſta eam ob rem offert gulæ nobis obiectandæ occaſio? Quod res habet, quodq́ docet uita cõmunis, aſſeruimus. Nam niſi bene curato corpore, animus ipſe cõtrahitur: nec abſq́ delicatiori habitudine quicquã in literis, uel in alia qualibet arte alacrius aut attentamus, aut attentatum perſequimur. Et nos ob id dictum in gulæ ſuſpicionem uocare audes? Dicã hoc hercle loco, quod uerum eſt: cuiusq́ rei teſtimoniũ dabunt, qui mecum aut aſsiduè uiuunt, aut certè aliquãdo ſunt. Omnium, quos tulit antea Natura, uel quos nunc etiã fert, uixit, uiuitq́ planè nemo me uel cibi, uel potus, uel ſomni abſtinentior: nemo laboris, & uigiliarum patientior: nemo rei ſuſceptæ perſequentior. Iam tu ex tuorum Italorum turba unum aliquem profer, qui me in ea re ſuperet.

Doleti uigilantia, & abſtinentia tum cibi, tum potus.

Simulatione,

Simulatione, ſcio, & inani oſtentatione multi me ſuperabunt: re autem uera ad me, dum uiuam, bonaꝗ; ualetudine utar, nulla parte accedent.

Floridi perdita inſolentia in criminibus obijciendis.

Auſus item es pro tua perpetua inſania, atqꝫ impudentia grauiorē aliam notam nobis inurere: Italis propriam, Gallis incognitam: ſaniè de animæ mortalitate ſenſum. Ad tanti maledicti confutationem antequàm ueniam, de te id percontari libet. Quo uiri docti, & boni exemplo ductus, ſi quando alicuius in re literaria errores, aut inſcitiam (ea ſunt, quæ in me calumniari ſtudes) aut hallucinationem inſectaris, in eiuſdem mores, uitamꝗ; irruis? Bipedum, quadrupedumꝗ; omnium, quas Sol uidet, Belua ſtupidiſsima. An maledictorum campum omnibus patere non nouiſti? Cuiuis uel nequiſsimo quemuis uel integerrimum, atque innocentiſsimum maledictis onerare prorſus licet. Mutuis conuitijs, ſi ijs certatur, nullus eſt tandem modus. Quid impediat, quin te pro obiectis mihi criminibus; te ipſum inquam lurconem, ganeonē, pædiconem, maſtrubatorem, irrumatorem, fellatorem (ueſtratia uitia enumero) ſiccarium, ueneficum, atheon denique uociferer: &, quicquid mihi uitij obijcis, id omne in te reſidere demonſtrem? Iterum, atque iterum hoc affirmabo: morum, uitæꝗ; repræhenſionem cum literaria diſceptatione commune nihil habere. Et ſi in eo certaminis genere quiſquam in mores aduerſarij inuehatur, deſtitutum illum quidem ratione iam uideri, pro uictoꝗ; exiſtimandum. Verùm ad tui ma-

Maledictorum campus omnibus patet.

Morum reprehenſio commune nihil habet cum literaria diſputatione.

ledicti

ledicti diſſolutionem deſcendo.

Animam (inquis) corpori ſuperſtitem non credit Doletus. Animum huc aduerte Floride uiuorũ, mortuorumq́ omnium ſceleratiſsime.

Impietas à Sabino ſceleratè obiecta Doleto.

Eſto: tanta ſis audacia, tam proiecta ad infamiam honeſtiſsimis, & optimis uiris infligendam mente, ut ex ijs aliquẽ ſuſpicione impietatis uelis perſtringere. Cedò, reum illum quî perages? quî conuinces? quî damnandum probabis? Vel dicto, uel ſcripto, uel uita eum conuincas neceſſe eſt. At quis meus inter omneis ſermo, niſi pius, niſi caſtus, niſi Dei honore plenus? Quod meum extat ſcriptum, quod uel tenuiſsimam (niſi, ut ſoles omnia, calumniari uelis) impietatis (impietatem uoco, de animæ interitu opinionem) bono alicui ſuſpicionem concitet? Et uita, quam degimus, non planè Chriſtiana? Dic tu crucibus omnibus digne Nebulo: hæccine ſunt praui de animę immortalitate ſenſus argumenta? In omni genere uoluptatum, & ſcelerum uolutari uideas, qui, quæ dicis, ſentiunt: nullo pudore utuntur, nulla uitæ caſtimonia. Iis tu de animæ interitu ſententiam aſsigna. At parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè, & chriſtianè uiuenti eam notam ne impinge: aut ſi impingas, impij te animi, & minimè Chriſtiani nomine accuſari ſuſtineto. Atq; ut, quàm ſim ab illa opinione alienus, liquidò etiam meis ipſius ſcriptis cõſtet, uerſus hic inſerã, quos de animę immortalitate cecini in Genethliaco filij mei Claudij Doleti. Ii autem iãpridem in lucem editi ſunt: ſicq́ ad uerbum habent.

Reus aliquis factus, uel ſuis ipſius dictis, uel ſcriptis, uel uiuendi modo cõuincendus eſt.

Verſus de animæ immortalitate: ex Genethliaco Claudij Doleti.

De reliquo: cùm Mors pallens, ætate peracta,
Inſtabit, non ægro animo communia perfer
Fata: nihil nobis damni Mors inuehit atrox,
Sed mala cuncta aufert miſeris, & ſydera pandit.
Tu ne crede, animos unà cum corpore, lucis
Priuari uſura. In nobis cœleſtis origo
Eſt quædam, poſt caſſa manens, poſt caſſa ſuperſtes
Corpora, & æterno ſe commotura uigore.
Scilicet à ſummo rerum Genitore creati
Sic ſumus, ut rapida corpusq́, animusq́ necentur
Morte, nec in Cœlum pateant ex Orbe receptus?
Non ita. Sunt nobis reditus ad regna paterna.
Regna Dei: genus unde animi duxere perennes.

Longiores hìc ſumus, quàm tua temeritas, inſolentiaq́ poſtulat. Vno enim propoſito uitæ noſtrę exēplo refutandus es. Quam quoniam & probam, & uerè Chriſtianam nouerunt, quibuſcum mihi conſuetudo interceſſit, eam'que talem eſſe ſcripta noſtra teſtantur, quid obiectam mihi à te impietatem, quid de animæ interitu opinionem pluribus à me uerbis propulſem? Hac nos macula ſatis ſuperq́ liberat uitæ noſtræ ratio: & tuam maledictionem nihil præter contumeliam, nihil præter linguæ procacitatem, nihil præter effrenatum animum habere, luce clarius coarguit.

Itaque morum, uitæ'que meæ purgatione functus,

ctus, reliqua tuæ garrulitatis capita non ordine(nihil enim ordine, aut appoſitè ſcribis) ſed ut in quẽq; locum incido,raptim,curſimq́; conſector.

In calumnijs tuis manens, quòd Ciceronis imitationi hærendum ſuadeo, idcirco nullo me numero Terentium, nullo loco Vergilium habere colligis: & eo nomine inuidiam mihi conflare te exiſtimas. Tuæ calumniæ fidem haberet fortè aliquis, niſi ita de Terentio in Dialogo noſtro Giceroniano ſcripſiſſemus. Terentij uerbum repudiandum prorſus nullum moneo, quod magis ad orationis ſolutæ libertatẽ, quàm ad carminis ſeruitutẽ accedat, quodq́; potius in compoſitionis ſeriem, & ordinem cum lenitate illabatur, quàm ſtridens cum ſtrepitu præcipitet: atque quod cum alijs ſuo loco eleganter, uenuſteq́; conſiſtat, & penè lateat, non uelut nouum, aut ut ab extranea aliqua colonia emigrans, inter alia notari, depræhendi'ue poſsit. Hæc de Terentio. Reliquorum autorum (eadem ſententia antea ſæpe ſum uſus: ſed & ſæpius mihi utendum eſt, ut tuis calumnijs occurram) uoces uſurpare, uiro docto religio eſt nulla, in ciuitatem certè Romanam admiſſas, non peregrinas, & nimia uetuſtate, ſicuti uinum, nõ fugientes, aut aceſcẽtes. Quis enim delicato palato inſipida non faſtidiat? quis acerba non reſpuat? quis putrida non oderit? Similia qui fugiet, exactũ, & rectum Ciceronis iudicium in uerborum delectu imitari exiſtimabo: recepta, & uſu cõprobata, uulgataq́; qui moroſè negliget, eam, qua maximè excellit

Ex Dialogo ſuo Ciceroniano.

Terentij uerba non fugienda ſunt, modò orationi ſolutæ cõueniant.

STEPH. DOLETI GALLI AVRELII AD CONVITIA FLORIDI SABINI RESPONSIONIS,

SECVNDA PARS.

TANTON' maledicendi ſtudio totus flagras, ei'ne natus procacitati, ut nulla accepta unquam à me iniuria, nullo uel minimo dicto lęſus, nullum non locum exiſtimationis meæ undiq; uiolandę captes ? nullam non conuicium faciendi occaſionem urgeas ? Bene eſt. In hoc dum ſudas, quàm loquaciter litigioſus ſis, oſtendis: neq; ob tumultuoſam tuam garrulitatem uel tantulum de exiſtimatione mea apud bonos, & doctos deperdo. Agedum: non ſatis tibi amplus loquacitatis campus ex noſtro Ciceroniano in Eraſmum Dialogo patuit: alia inueſtiganda fuit maledictionis ſeges. Ex libro noſtro de re nauali illam

Lazarus Bayſius.

quæſijſti. Lazarum Bayſium nobis opponis. Dij tibi malefaciant, ſcelerate Nebulo. Quos plurimi ſemper feci, tua procacitate efficis, ut eos parte ex aliqua pungere, penè neceſſe habeam, dum tuis calumnijs, maledictisq; reſpondeo. At eodem ſemper apud me loco erit Bayſius, quo uiri doctiſsimi, & de re literaria præclarè meriti. Cum quo ut committar, tua balbutie non aſſequeris. Atque hîc breui dicam, quod ad tua mendacia reſponſum ſemel uolo. Nihil nos in re nauali tractanda iuuit Lazari Bayſij liber: utq; ille doctè, & accuratè de ea re ſcripſerit, non minus tamen laudando ordine, & doctrina in idem argumentum incubuimus. Quod doctorum omnium eſto arbitrij.

Lazari Bayſij liber de re nauali.

Doleti item liber de re eadē.

Non plura hîc etiam de Remulci ſignificatione diſputabimus. Diximus remigij, ſcaphæq; genus eſſe. Id tu negas. Nos id de integro aſſerimus. Ecquis contentionis finis? Doctorum eſto iudiciū. Interim riſu propemodum emoriar, dum, quæ balbutis, ut noſtram in eo ſententiam infirmes, tui ridendi cauſa legam. Neque minus item riſu diſtendar, cùm illa ſcelerata audiã, quæ de noſtris linguæ Latinæ Commentarijs inſolenter effutis. Scilicet eos ſumus ſuffurati: in ijs nullo utimur ordine? Tertius eorū Tomus nunquàm à nobis exibit, niſi, à quo illum cōpilemus, aliquod antè Opus Gallus quiſpiam, Italus'ue emittat. O' perditi, profligatiq; oris hominem. Suffurati illos ſumus? nullo in ijs ordine utimur? Quod ad furtum facit, Sebaſtianum Gryphium, operasq; illius conueni. Tum ab eis ue-

Commētarij linguæ Latinæ à Doleto editi.

Sebaſtianus Gryphius.

rum diſces. Cum ſuis enim ille nouit, quanta diligentia, quanto labore, quantis uigilijs, quàm nullo, niſi Cicerone, & reliquis perfecti linguæ Latinæ ſeculi Autoribus adiutus, ſolus illos confecerim. Et tu in illis quicquam ab alijs mutuatos nos ais? Quid Calepinus? quid Sypontinus, quid Roberti Stephani Theſaurus? quid Riccius? quid Nizolius cum illis commune habent, ut quicquam ab illis in noſtra tranſtuliſſe uidear? Sed nullo ordine utimur. Dij boni! quid hoc dicti eſt, niſi te uel planè beluam: uel ſceleratiſsimum calumniatorem confiteri? Beluam: ſi ordinem noſtrum non intellexiſti. Calumniatorem: ſi intolerabili impudentia, & animi peruerſitate id in nobis tegere, opprimereq́ ſtudes, quo nulli prorſus cedimus. Ordinem autem iſtiuſmodi in Commentarijs noſtris ſeruamus (cuius rei & in primo, & item altero Tomo certiorem lectorem ſtatim facimus in initio) ut primùm proprias dictionũ ſignificationes tradamus: deinde trãslatas explicemus. Ac in utranq; propria exẽpla congerimus. ſed id etiã ordine. Nã ut Ciceronis opera digeſta ſunt, ita ordine ex illis exẽpla proferimus: nimirũ primò ex epiſtolis familiaribus: deinde ex epiſtolis ad Brutũ, ad Q. fratrẽ, & ad Atticũ: & id quoq; ordine ex primo, ſecũdo, tertio, & ſequẽtibus ſingulis libris. Quòd ſi ex orationibus eiuſdem exẽpla alia eliciẽda ſint, nihil tũc pariter peruertimus: nihil item in rhetoricis, & philoſophicis libris. An id eſt nullo ordine uti? Ecquem uel Græcum, uel Latinum proferes, qui me in hac re excellat?

Commentariorum linguæ Latinæ ordo.

Tertius linguæ Latinæ Cõmentariorum Tomus.

Sed tertius (inquis) Commentariorum noſtrorum Tomus nunquàm à nobis exibit, niſi, à quo illum compilemus, aliquod antè Opus Gallus quiſpiam, Italus'ue emittat. Emittant uerò uel Galli, uel Itali, uel Germani. Nullius enim in hoc uel doctrinam, uel eloquentiam, uel iudiciũ formidantes, iampridem, quę in Tertio Tomo noſtro tractaturi ſumus, apertè ſignificauimus. Deſpõſam eã nobis gloriam præripere uel tu (ſi tamen prius Latinè loqui, diſceres) uel alius quiuis conetur. Tum noſtro emiſſo docti ferent ſententiam, uter utrum ſuperet: an'ue in hoc Opus tot annos fruſtra contulerimus. Quod ſuo quidem tempore foras à nobis dabitur: &, quam prorſus extinctam uelles, famam noſtram multo maximis partibus ampliorem, in omnem Poſteritatem tranſmittet.

PERORATIO AD GVLIELMVM BIGOTIVM.

IAM uerò,mi Bigoti, pluribus, quàm ſatis eſt,ad Morionis tam inſulſi friuola maledicta hactenus reſpondimus. Et ut uerè,ingenueq; dicam, plus mihi negotij fuit, ut iſti Beluæ reſponderem, mihi ipſi imperare,quàm in ipſa reſponſionis commentatione. Vix enim credas (ut id ſæpius repetã) quàm coactus,et inuitus iſtiuſmodi cõcertationibus uaco. Iam iam ab hoc ſcribendi genere abhorret mea ætas, & ſatis apud omneis confirmata exiſtimatio:neq; etiam ulla laus proponitur ſuſcipiendi cum tam abiecto Grammatico certaminis. Valeant ſua cum maleuolentia Maleuoli : in quotidianis iſtis Obtrectatoribus iandudum faſtidimus. Ac maiora in literis conor, quàm ut cum iſta planè infantium Sciolorum turba rem mihi diutius eſſe uelim, tempusq; inutiliter conuiciando abire. Quod nobis cõſilium dant amici quidem omnes, & uitæ tranquillæ cupidi. Neq; ego uel literam in iſtum pædiconem Italum: niſi in mores noſtros inuectus eſſet. Nam ut ne eloquẽtiæ, & eruditionis laudem nobis ſua obtrectatione detrahat, facilè noſtra monumenta literaria prohibebunt. Morum quoq; noſtrorum probitatem norunt, quibuſcum mihi uſus aliquis interceſsit: ſed ne apud alios nobis uitæ improbæ fa-

mam conficeret, ſcripto aliquo reprim̃enda fuit iſtius inſolentia. Quòd ſi inſanire in me perget, perpetuò inſaniat per me licet. Ego ſanè (ut ad id, quod principiò dixi, redeam) debacchantis inſania, petulantiaq́, uelut Picæ garrulitate, oblectabor.

Stephani Doleti Galli
AVRELII VARIA EPIGRAMMATA.

IN FLORIDVM SABINVM.

SCIS, tua me quantum turbant conuitia? quantum
Porcus, dum grunnit, uel uomit ore lutum.

IN EVNDEM.

Ineptias tuas ne facio quidem pili,
Pilo leuiores, nebula leuiores leui.
Garrire perge Nebulo: nil me tua mouent.

IN EVNDEM.

Iniuria nulla accepta qui iniuriam
Facit alteri, quo eum morbo teneri putes?
Inſania quidem, furoreq́; rabido.
Hoc te laborare fatere; id nempe eſt liquidum.

IN EVNDEM.

Qui dictitat, Doletum non dignum ſe diſcipulum.

Treis, quatuor'ue annos á te me poſſe doceri
Non nego, ſi, quæ ſcis, diſcere multa uelim:
Barbariem, ſtolidos mores, uitamq́ nefandam.
Hæc calle ſolus: non mihi doctor eris.
Quale uolo eloquium, præſta, qualemq́ poëſim:
Hæc ſi præſtiteris, mox ero diſcipulus.
Aſt his cùm careas prorſum, ſcateasq́ ſceleſtis
Moribus, infando non ero diſcipulus.

IN EVNDEM.

Facit meorum ſcriptorum ſublimitas,
Vt Floridus non credat ea eſſe prorſus mea:
Sed Floridi inſcitia, & infantia facit,
Vt, quæ ſcribit Floridus, Floridi eſſe putem.

IN EVNDEM.

Quis Floridus? comedo, belluo, lurco, uenter,
Ganeo: gerro, inuidia, maledictum: iners, bardus,
Terræ pondus inutile: dolus, ſcelus, peſtis.

IN EVNDEM.

Si quis tuum ignorabit nomen, te peſtem

Vocet:te rectè appellabit, & abſq; errore.

IN EVNDEM.

Temulenta ſcribit temulentus: quid
Mirum? Heliconem oleant temulenti ſcripta?
Ab amphora uinaria digna uomuntur.

IN EVNDEM.

Apollinis artem deſine, Floride: Bacchus
Te uendicat ſibi totum: Domino ſerui:
Serui ſcyphis, quibus facilè ſuperas cunctos:
Linquito rhetoricam, qua te uincunt omnes.

IN EVNDEM.

Qui Libros treis de præſtantia Cæſaris ab Alberto Pio Carporum Principe ſuffuratus eſt.

Cùm crimine ficto ſcribis Commentarios
Meos me ſuffuratum ab aliis, Floride,
Spectare mihi uideor furem unum aliquem ſtolidum,
Furtis ſuis obtendere uelum qui ſe putet,
Fures ſi alios appellet ficto crimine.

IN EVNDEM.

Quòd malè Budæum reprehendat in interpretatione admittendi.
Quòd item Budæo perperam Politianum prætulerit.

Quibus bonorum Autorum teſtimoniis
Probabis, Admittendi ſignificatui
Eam uim ineſſe (quanquàm id paſſim Grammaticæ
Præceptiones quædam tradant) ut probè
Pro concitare ponatur? Non in eo
Budæus errauit, cùm dixit Admittere
Equum, eſſe idem, quod in admotum inſilire Equum.
Ac in eo ſignificato eſt Admittere
In iis exemplis, quæ citat Budæus bene
Doctè, grauiq; iudicio. At id tu negas,
Et pro perpetuo procacitatis ſtudio tuo,
Maledicendiq; uſu, inde occaſionem arripis
Virum laceſſendi, uirum facilè principem
Doctorum omnium noſtræ ætatis. Quem dum ſtudes
Spoliare laude omni, Politianum ei
Politianus Budæo non præferendus. *Præfers. Politianum autem (ut quàm ueriſſimè*
Dicam, quod hic uolo dicere) non neſcio
Summa fuiſſe doctrina tum Latia,
Tum Pelaſga: ſed haud tanta illa tamen,
Vt non eam aſſecutus ſit Budæus citò,
Longeq; uicerit tandem. Et ne noſtro tuum
Dicas minorem ſtyli laude, ac gloria,
Politiano ut eximiam, & ſummam tribuam
Doctrinam, nihilo minus in ea parte cedere

Budæo

Budæo tenebo. Et quod ad ſtylum pertinet,
In Budæo elucet maieſtas, & grauitas
Antiqua quædam. Aſt in Politiano tuo
Humilis neſcio quæ, & pædagogica dictio,
Scribendiq; modus elumbis odioſius eſt.

IN EVNDEM ATHEON.

Plenis maledictorum quadrigis me potes
Obruere, qui facis cœlo etiam conuitia.
Agedum, bene perditè facſis malus, & impius.
Mortalem, poſt immortales, potes pungere.



DOLETVS.

Durior eſt ſpectatæ uirtutis,
quàm incognitæ,
conditio.

5263002

MC